Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



24

numero. & tenebrescent uidentes per foramina. & claudant ostia in humi
litate uocis molentis. & consurgent ad uocem uolucris & obsurdescent omnes
filie carminis. excelsa quoq; timebunt & formidabunt in uia. Florebit
amigdalum inpinguabitur locusta. & dissipabitur capparis. quo ibit homo
in domum eternitatis suae. & circuibunt in plateis plangentes. ante quam
rumpatur funis argenteus & recurrat uitta aurea. & conteratur hydria
super fontem. & confringatur rota super cisternam. & reuertatur puluis in terram suam
unde erat. & spiritus redeat ad dominum qui dedit illum. Vanitas uanitatum dixit
ecclesiastes. & omnia uanitas. Cumq; esset sapientissimus ecclesiastes. docuit
populum & enarrauit quae fecerat. & inuestigans composuit parabolas multas.
Quesiuit uerba utilia. & conscripsit sermones rectissimos ac ueritate ple
nos. Verba sapientium sicut stimuli & quasi clauus infixi. quae pro
gustiq; consilia data a pastore uno. Hinc amplius filii mi ne requiras.
Faciendi plures libros nullus est finis. frequensq; meditatio carnis af
flictio est. Finem loquendi omnis pariter audiamus. Deum time & mandata eius
obserua. hoc est omnis homo. Et cuncta quae fiunt adducet dis in iudicium
pro omni errato siue bonum sit siue malum. Explicit ecclesiastes hoc est
celeth. Incipit canticum canticorum quod hebraice dicitur
Osculetur me osculo oris sui. syrasyrum.
quia meliora sunt ubera tua uino. & odor unguentorum tuorum
super omnia aromata fragrantia unguentis optimis. Oleum
effusum nomen tuum. ideo adolescentulae dilexerunt te. Trahe me post te
curremus in odore unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua.
exultabimus & delectabimur in te. memores uberum tuorum super uinum. Recti
diligunt te. Nigra sum sed formosa filie ierusalem sicut tabernacula cedar.
sicut pelles salomonis. Nolite me considerare quod fusca sum. quia de
coloratum me sol. Filii matris meae pugnauerunt contra me. posue
runt me custodem in uineis. uineam meam non custodiui. Indica mihi quem